


8 De existentia & essentia Damonum.

conceptu substantiæ spiritualis, & in conceptu intellectivi. Dicuntur *immundi* ad differentiam Angelorum bonorum. Dicuntur *aiterni*, quia fuerunt in tempore creati, & semper ex natura sua durare debent. Dicuntur, *ab omni materia, & physica compositione seiuncti*, ad differentiam brutorum, & animæ rationalis, quæ licet separata à corpore, & vnita cum illo vocetur spiritus, tamen quia est compars illius, semper dicit ordinem ad illud.



C A P V T III.

De Angelorum numero.

IN Scripturæ locis certus non habetur numerus. Nam dicitur Daniel. 7. *Millia millium ministrabant*, &c. & Iob 25. *Nunquid est numerus militum eius?* Matth. 26. *An putas quia non possum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modò plusquam 12. legiones Angelorum?* & Apoc. 5. *& erat numerus eorum millia millium;* & Hebræor. 12. *Multorum militum Angelorum frequentiam.*

Si à SS. Patribus calculum requiris, S. Gregorius lib. 17. magnorum mor. cap. 9. ait. *Supernorum civium numerus infinitus & definitus exprimitur: ut qui Deo est numerabilis, esse hominibus innumerabilis demonstratur.*

S. Achanasius oratione ad populum Antiochenum tot esse censet Angelos, quot fuerunt, quot sunt, & quot futuri sunt homines: iuxta illud Deut. 32. *Constituit mundum iuxta gentium numerum.*

Sed alij asserunt esse plures Angelos, quàm homines in individuo: tum quia ex vna tantum hierarchia designantur custodes hominum, & quilibet hominum suum proprium habet custodem, qui alterius hominis custos nec erit, nec fuit; ergo hæc sola hierarchia minimum æquat numerum hominum; ergo hi exceduntur numero ab Angelis, ratione aliarum hierarchiarum; tum ex reuelatione S. Brigittæ (de qua & Dionysius Carthusianus in cap. 14. Arcopagitæ de cælesti hier.) cui à Deo refertur reuelatum, pro singulis hominibus posse esse decem Angelos.